

intervallo amittat viriditatem, ac potior Tibi nunquámq; marcessens alia in glorioso sanctorum Angelorum beatarúmq; Animarum cœtu tribuatur. Sed sicuti primùm gaudio mihi fuerat Codex improvisò oblatu, ita mox gaudio isti vix consolabilis ægritudo intercessit, cùm nobile clarissimæ famæ monumentum nusquam totum appareret; atque ipse adeò Codex desideraretur in codice vetustate multis in locis exeso, madore vitiato, frustra- tim quondam discerpto, ac solutarum dissi- patarúmq; philyrarum imperitâ compagina- tione indigesto, mutilo, fœdo. Hanc incomparabilis monumenti jacturam me præter multos non solùm dolenter, sed propemodum impatienter tulisse fateor; donec recollectis comportatísq; luctuosi naufragii tabulis, in uno atque altero Euangelistâ quatuor subinde vel quinque, immò & novem quandoque vel decem integra ferè capita mutuò sibi cohærere de-

deprehendi: quæ cùm sufficere viderentur ad explorandum linguæ aliquot ab hinc seculis deperditæ & hætenus ignotæ genium, ex pro- piores primùm intuitu, ac mox è prospectu re- motiore, ex omnium denique circumspectu comperi nullum Gothis lumen, nullum flo- rem dicendi defuisse; ita in totius Euangelicæ historiæ altiùs quasi exaggeratâ dictione natu- ralis quidam ac minimè fucatus nitor emicat, dum res magnæ admirabili electissimorum ver- borum splendore graviter ornatéq; illustrantur, ac justum ubique servatur pondus authoritatis majestatisq; Sacrosancto codici congruæ. Ad hæc si quis nunc mihi advertat animum, næ is profectò vel invitus agnoscat singularem illius linguæ in liberâ oratione vim ac facultatem, quæ ad sermonis Græci proprietates, ubertatem, em- phasin haud improsperè ausa est adspirare. Plu- rima hujus nostræ assertionis documenta lectori exhibent doctissimæ Thomæ Mareschalli in hæc

* *

Euan-